



ANdreas ille corporis & animi magnitudine insignis, reliquas artes pertæsus, militiæ operam dedit, atq; castra regū sequendo paulatim magnum nomen adeptus est. Is autem potissimum ei principum militabat, qui causam iustiore defendebat. Contigit autem opportune, cum Fridericus tertius Cæsar Romæ esset, atq; secum Ladislaum regem Bohemię & ducem Austrię imberbem duxisset, cuius tutorem agebat, Australes suafore Eyzingero, sumptis armis, præsides & præfectos provinciæ à Friderico ordinatos vi pellunt, & ex se ipsis gubernatores eligunt. Interea Imperator ex Italia redierat, atq; Austriæ turbas componere sta-

tuerat. Verùm coniurati proceres missis legatis aut regem tradendum, aut bellum Friderico expectandum nunciant.